



Disputatio juridica inauguralis de tutoribus & curatoribus

<https://hdl.handle.net/1874/341836>

DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS,
DE

Tutoribus & Curatoribus,

QUAM

PRÆSIDE DEO TER OPT. MAX.

Ex auctoritate Magnifici Rectoris,

D. HERMANNI WITSII,

S. S. Theol. Doctoris, ejusdemque in Inclyta Academia Ultrajectina
Professoris Ordinarii, & Ecclesiæ ibidem Pastoris facundissimi,

NEC NON

Amplissimi Senatus Academici Consensu, & Alma

Facultatis JURIDICÆ Decreto,

PRO GRADU DOCTORATUS

Summisque in UTROQUE JURE Honoribus, & Privilegiis
ritè, ac legitimè consequendis,

Eruditorum examini subjicit

QUIRINUS BERNARDUS SCHALCK, Amstelodamensis,

Ad diem 4. Junii, loco horisque solitis.



ULTRAJECTI,

Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academiæ
Typographi, cło lcc Lxxxvi.

8

DISPUTATIO JURIDICA
DE
IURAMENTO

Tutoribus & Curatoribus

AVGVSTVS M. T. TERENTIVS
L. HERMANNI WITSI

D. HERMANNI WITSI

S. S. Theol. Doctoris, cingentis in Iuris Academiae Ulmensis
Professoris Ordinarii, et hactenus huiusmodi

PROFESSORIS

Magistri in Iuris Academiae Ulmensis

Magistri in Iuris Academiae Ulmensis

PROFESSORIS

Magistri in Iuris Academiae Ulmensis, et Privilegiis

Magistri in Iuris Academiae Ulmensis

Magistri in Iuris Academiae Ulmensis

GURINVS BERNARDVS SCHALCH, Aufseher

Magistri in Iuris Academiae Ulmensis



ULTRAJECTI

Ex Officina FRANCISCI HALMA, Academicæ
Typographi, c. 1737.



DISPUTATIO JURIDICA

INAUGURALIS,

DE

Tutoribus & Curatoribus.

THESIS I.



Quoniam omnis materia debet incipere à definitione, ideo definitio tutelæ & curæ præmittenda est. Definitur autem Tutela, quod sit vis ac potestas in capite libero ad tuendum eum, qui propter ætatem se defendere nequit jure civili data ac permiffa. *l. i. D. de tut.* Estque triplex, vel testamentaria vel legitima vel dativa. *d. l. i.*

I I.

Cura seu curatio est vis ac potestas in capite libero ad tuenda illius negotia, qui per ætatem vel animi aut corporis vitium ea gerere non potest. *tot. tit. Inst. § Dig. de curat.* Estque duplex vel legitima vel dativa, non vero testamentaria, quia curator inutiliter testamento datur, nisi à magistratu confirmetur. *§. i. Inst. de curat.* Sed moribus nostris nulla inter tutorem & curatorem differentia est.

A 2

III. Prima

I I I.

Prima autem quæstio circa definitionem tutelæ hæc est, quid JC sult. vel Imp. intelligat per vim & potestatem? nos intelligimus blandam vim seu auctoritatem, quæ in promovendis pupilli commodis consistit & in coërcendis ejus incommodis. Verba *in capite libero* in dicta definitione referenda videntur ad tutorem, sed in genere ad utrumque.

I V.

Mater non potest liberis intestamento dare tutores, nisi eos primò instituat hæredes, quia mater non tam personis dat tutores quàm bonis. *l. 4. D. de testam. tut.* Pater etiam filio exheredato tutorem dare potest, quia exhereditatio non tollit patriam potestatem. *d. l. 4.*

V.

Filiusfam in testamento tutor dari potest, quia in causis publicis habetur pro patrefam. *l. 9. D. de his qui sunt sui vel alien. jur.* sed tum demum administrare potest, quando pervenit ad legitim. ætat. 25. annor. *l. ult. c. de legit. tut.* Idem est in furioso & minore 25. ann. ideoque illorum datio non est ipso jure nulla, sed tunc demum ad administrationem admittuntur, quando furiosus factus est compos mentis, vel minor factus est major. *§. 2. Inst. qui testam. tut. dar. poss. § l. 15. a seq. D. de tut. § curat. dat. ab his &c.*

V I.

In testamento tutor quoque dari potest sub conditione, vel ex certo tempore vel ad certum tempus. *§. 3. Inst. qui testam. tut. dar. poss.* sed magistratus sic dare non potest. *l. 77. D. de reg. jur.* si testator filiis dedit tutorem, etiam filiabus eundem dedisse intelligitur. *l. 6. D. de testam. tut.* sed nequaquam nepotibus, quia illorum
rum

rum nihil interest, secus si interest. *l. 10. D. de verb. signif.*

VII.

Quando autem deficit tutela testamentaria, tunc locus fit tutelæ legitimæ, & ideo olim soli agnati erant tutores legitimi. *tot. tit. Inst. a. Dig. de legit. tut.* sed illa differentia inter agnatos & cognatos jure novo sublata est. *Nov. 118. cap. 4. a. 5.* Præfertur autem mater aviæ, quia jure successionis tutrix est. *d. c. 5.*

VIII.

Superioribus deficientibus tunc Magistratus pupillis dat tutorem, quæ datio nec imperii est, nec jurisdictionis, sed specialis permissionis; *l. 6. §. 2. D. de tutel.* Utiq̃ dare tutorem non sapit imperium, nec jurisdictionem, quia aliàs etiam pater haberet jurisdictionem, quod absurdum est. Moribus tamen jurisdictionis esse censetur.

IX.

Pupillus autem opus habet auctoritate tutoris, quando suam conditionem faceret deteriorem, puta si obligaretur. *pr. Inst. de auct.* si tamen pupillus læsus est, duo habet juris remedia scilicet vel restitutionem in integr. vel actionem tut. adversus ipsum tutorem. *l. 3. C. si tut. vel curat. interv.* Naturaliter tamen pupillus obligatur etiam absque tutore, quatenus alterius conditionem facit vel meliorem vel deteriorem, non quatenus propriam faceret deteriorem. *l. 41. D. de condiçt. indeb. §. l. i. D. de novat. §. i. Inst. de fide Inst.*

X.

Quid ergo dicendum, si pupillus sine auctoritate tutoris adiverit hereditatem & quidem lucrosam? Non obligabitur, quia pupillus sub tutore non potest aliis obligari. Semper autem in hereditate quædam sunt debita & credita, & hereditas quæ hodie lucrosa est, alio tempore

6 DISPUTATIO JURIDICA

pore potest esse damnosa. §. 1. *Inst. de auct. tut.* §. l. 9.
§. 3. *D. eod.* §. l. 189. *D. de reg. jur.*

X I.

An ergo nec tutor negotium pupilli potest confirmare per epistolam vel nuntium? Non potest, sed debet esse præsens, aut saltem perfecto statim negotio intervenire. *l. 2. §. 4. D. de adq. hered.* sed moribus hæc scrupulositas non attenditur.

X I I.

Si forsan inter pupillum & tutorem lis oriatur super antiquo aliquo debito, quia ipse tutor in rem suam auctor esse non potest, datur curator. §. *ult. Inst. de auct. tut.* §. *tot. tit. Cod. de in lit. dand. tut.* Sed jure novo ille qui est debitor vel creditor pupilli, vix potest esse tutor, nisi sit mater vel debitor aut creditor exiguæ quantitatis. *Nov. 72. c. 1. x. 2. est d. 1. 2. §. auth. minor. C. qui dar. tut.* quia præsumptio est quod, debitor vel creditor sibi ipsi satisfactorius sit.

X I I I.

Erant autem masculi in tutela usque ad ann. 14. fœminæ ad ann. 12. sed in cura erant usque ad ann. 25. complet. *pr. Inst. de curat. l. 1. §. 2. §. seq. D. de min. 25. ann. in integr.* nisi impetrassent veniam ætatis, quæ tamen liberam alienationem rei immobilis minime concedit. *l. 1. §. 1. Cod. de linq. ven. ætat.* Inviti tamen adolescentes non tenentur accipere curatores, ne videantur furiosi aut prodigi. §. 2. *l. 3. Inst. de curat.* Exceptio tamen est in causa litis *d. §. 2.* & quando semel admiserunt curatorem. *d. §. ult. l. 1. §. l. seq. D. de minorib. 25. ann.*

X I V.

Quid ergo statuendum, si minor habeat curatorem, attamen sine ejus consensu contraxerit, obligabiturne?
Non

Non obligabitur, sed contractus erit ipso jure nullus, quum sit contra leg. prohib. puta contra *l. 3. C. de in integr. restit.* & contra *l. ult. §. 2. C. de sentent. pass. & restit.* Quod autem est contra leg. prohib. etiam si juramentum esset, tamen ipso jure nullum dicendum est. *l. 5. C. de legib.*

X V.

Furiosi & prodigi inter se comparantur, quatenus uterque tenetur accipere curatorem, sed furiosus est, qui communi consensu populi habetur pro furioso, sed cecus est in prodigo, puta prodigalitas est facti, & ideo nemo prodigus dicendus est, nisi per sententiam indicis talis declaratus sit. *l. 10. p. D. de curat. furios.* & *al. ext. min. dand.*

X V I.

Satisfactio tutoris vel curatoris est cautio, quæ fit datis fidejussoribus rem pupilli vel minoris salvam fore. Sed quæ ratio, cur etiam non possit fieri pignoribus & hypothecis, cum plus cautionis sit in re quam in persona. *l. 25. D. de reg. jur.?* Resp quia est cautio prætoriam. *pr. Inst. de satisfd. tut. vel curat.* quæ omnino fidejussores requirit. *l. 7. D. de stip. prætor.* qui etiam facilius producuntur & excutiuntur.

X V I I.

Sed testamentarii vel cum inquisitione dati non tenebantur satisfacere, quia eorum fides & diligentia ab ipso testatore ad probata est, vel quia idonei electi sunt. *pr. Inst. de satisfd. tut. vel curat.* vel potius, quia pupillus habet tacitam hypothecam in omnibus bonis tutoris, si male administrat. *l. 7. §. 5. C. de curat. tut.* Reliqui ergo tenentur cavere legitimi & qui sine inquisitione dati sunt, & coguntur vel mulctæ indictione vel captis pignoribus. *§. ult. Inst. de satisfd. tut.*

X V I I I.

Excusatio tutoris vel curatoris est immunitatis allegatio qua

qua tutor vel curator se excusat ab onere tutelæ vel curæ, quæ tamen si resecta est, tum demum datur appellatio, & ideo ab ipsa datione tutelæ non datur appellatio. *l. 1. §. 1. D. quand. appell.* Excusatio autem proponenda est intra 50. dies continuos, si tutor intra centum. lapid. habitet §. 16. *Inst. de excusat. tut. vel curat.*

X I X.

Sed potestne etiam tutor legitimus se excusare? Potest si habeat justam causam, cum nemo teneatur ad impossib. *l. 185. de reg. jur.* Quinimo textus apertus est in *l. 1. C. de legit. tut. §. 16. Inst.* Quamvis enim stricto jure ad illum pertinêat onus tutelæ, ad quem pertinet emolumentum success. ab intest. hoc tamen accipi debet salva excusatione legitima. *dd. textib.*

X X.

Suspectus tutor vel curator est, qui non ex fide tutelam vel curam gerit, licet solvendo sit. §. 5. *Inst. de susp. tut. vel curat.* Si quis ut suspectus remotus est propter dolum, haud dubie infamis fit. §. 6. *Inst. eod.* Sed quid, si ob latam culpam? Idem dicendum videtur, quum regulariter lata culpa in causis civilibus dolo æquiparetur. *l. 226. D. de verb. signif. l. 1. §. 1. D. si mens. fals. mod. §. 1. 7. §. 1. D. de suspect. tut.*

X X I.

Sane ob levissimam culpam, quæ vix distat à casu fortuito, tutor vel curator ut suspectus removeri vel simpliciter teneri non potest. *l. 1. pr. D. de tut. §. rat. distr. l. 7. C. arbitr. tut.* Si quis autem suspectus accusatur, quoad cognitio finiatur, inter dicitur ei administratio propter favorem pupilli. §. 7. *Inst. de susp. tut. junct. l. 17. §. 11. D. ad l. municip.*

F I N I S.